

Latin: Level II

Mandatory Selection

iamque rubescēbat stēllīs Aurōra fugātīs,
 cum procul obscurōs collīs humilemque vidēmus
 Ītaliā. Ītaliā prīmus conclāmat Achātēs,
 Ītaliā laetō sociī clāmōre salūtant.
 tum pater Anchīsēs magnum crātēra corōnā
 induit implēvitque merō dīvōsque vocāvit
 stāns celsā in puppī:
 “dī maris et terrae tempestātumque potentēs,
 ferte viam ventō facilem et spīrāte secundī!”

- Vergil, *Aeneid* 3.521-529

Second Selection I

Cum subit illīus trīstissima noctis imāgō,
 quod mihi suprēmum tempus in urbe fuit,
 cum repetō noctem, quā tot mihi cāra reliquī,
 lābitur ex oculīs nunc quoque gutta meīs.
 iam prope lūx aderat, quā mē discēdere Caesar
 fīnibus extrēmae iusserat Ausoniae.

- Ovid, *Tristia* I.3.1-6

Second Selection II

uxor amāns flentem flēns ācrius ipsa tenēbat,
 imbre per indignās usque cadente genās.
 nāta procul Libycīs aberat dīversa sub ōrīs,
 nec poterat fātī certior esse meī.
 quōcumque aspicerēs, lūctūs gemitūsque sonābant,
 fōrmaque nōn tacitī fūneris intus erat.

- Ovid, *Tristia* I.3.17-22

Second Selection III

iamque morae spatium nox praecipitāta negābat,
 versaque ab axe suō Parrhasis Arctos erat.
 quid facerem? blandō patriae retinēbar amōre,
 ultima sed iussae nox erat illa fugae.
 ā! quotiēns aliquō dīxī properante “quid urgēs?
 vel quō festīnās ire, vel unde, vidē.”

- Ovid, *Tristia* I.3.47-52

Note: Participants are required to recite from memory two pieces: the Mandatory Selection and one of the Second Selections.